

ante tempus. » Lætus hoc responso medicus : « Domine, si creditis, ait, posse vobis vitam prorogari per medicinam meam, cur non creditis salutem vestram procurari posse per penitentiam et opera justitiæ? Sine his enim anima moritur. » Cui Landgravius : « De cætero esto medicus animæ meæ : quia per linguam tuam medicinalem, Deus me liberavit a maximo errore. » Quare de mediis ad salutem perducentibus solliciti esse debemus, non de prædestinatione. Unde apostolus cum dixisset : *Cognovit Dominus, qui sunt ejus*, mox subjicit, quod ex nostra parte requiritur : *Et discibat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini*. Et hæc orthodoxa veritas adeo conformis est naturæ liberi arbitrii et lumini naturæ, ut eandem viderint etiam philosophi et poetæ, quorum illa est gnome : Cum Minervæ quoque manum move, orta vel ab agasone, qui extrahendo e luto asino suo, Herculem imploravit, ipse otiosus stans ; cui respondit oraculum : *Admove manum asino laboranti, ita demum numen tibi aderit*. Vel a palæstrita, qui in palæstra luctaturus, Minervam consuluit, num futurus esset victor, auditque victorem fore. Verum cum is ingressus in theatrum, manus ad luctam non moveret, percussus ab adversario et victus est.

VI. Discimus unum esse Christi ovile, seu Ecclesiam. Qui in hac Noe arca non est, peribit. Qui in hac domo Rahab non est, in gladium incurret. Qui in hac vita non est, in igne erit. Ergo decipiuntur hæretici, qui volunt unumquemque in sua secta salvari posse. Certe religio nostra ab illorum secta diversissima est uti apertissimum. Viderit ergo quisque quo in ovili sit. Nos catholici causam non habemus dubitandi aut metuendi, ne extra ovile Christi simus, quia videmus antiquam nostram domunculam, antiquum præsepe, antiquam januam, antiquos pastores, antiquum pabulum, antiquos pastorum nostrorum canes : hoc est, antiqua nostra templa juxta veterum morem adornata, antiquum sacrarium ubi asservatur corpus Christi, antiquum baptizandi ritum, antiquos doctores, antiquum Dei verbum antiquo patrum sensu expositum, et antiqua sacramenta, antiquos canones et censuras. Dicant enim hæretici, quando hæc talia non habuerimus, quando novitatem induxerimus, quo anno, quo loco, sub quo imperatore, pontifice, etc. At ipsi quam plurimas suspicandi rationes habent, se in eo ovili non esse, cui Christus et apostoli præfuerunt ; siquidem templa illorum stabulis fere similia facta sunt, et antiquo ornatu spoliata, monasteria desolata, et in horrea mutata, sacraria diruta aut vacuata, nec alio fine in templo manentia, quam quo globus super haram positus : alius baptizandi ritus, alii pastores, prius non

visi, profani, uxorati, aliud Dei verbum, alia sacramenta, aliæ leges, etc. In ejusmodi ovile qui ingreditur, merito circumspicere deberet et mirari ejus novitatem, idque suspectum habere.

VII. Discimus unum esse Ecclesiæ pastorem, cui subordinati sint reliqui inferiores, adeoque Ecclesiæ regimen esse monarchicum. Hunc autem in ovili tantum catholicorum reperimus. Hæretici sunt acephali. Obijciunt pastorem suum Christum esse, et de hoc intelligenda Christi verba. Non nescio ; sed cum ovile Christi sit in terra ipse autem in cælo, quomodo Ecclesiæ suæ satis providit, nisi etiam dederit illi pastorem visibilem in terra ? Quomodo enim in dubiis rebus recurrere ad Christum possumus ejusque definitionem obtinere ? Est sane Christus Ecclesiæ caput quoad internum gratiæ influxum ; verum quoad externam gubernationem constituit ei vicarium suum, qui visibilis Ecclesiæ, qualem ipse instituit, et cui ipse visibiliter præfuit, dum in terris esset, visibile caput esset, ne regimen Ecclesiæ visibile et monarchicum mutaretur. Hinc Ecclesia comparatur exercitui ordinato, Cant. VI. regno, Dan. II. domui, 1. Timoth. III. corpori humano, 1. Cor. XII. ovili denique in hodierno evangelio. Debet etiam exercitus habere ducem suum visibilem, regnum suum regem, domus patremfamilias, corpus caput, ovile pastorem, alioquin erit divisio, schisma et dissensio, v. g. si duo vel tres duces ejusdem forent exercitus, et unus suaderet pugnandum, alter quiescendum, tertius fugiendum. In hoc ergo ovili persistamus, auditores, donec inde a pastore nostro ad cælestis vitæ pascua educamur.

CONCIO IX.

MYSTERIA.

I. Christus quomodo pastor. — II. Quomodo Christus pastor ille bonus. — III. Quomodo bonus pastor dat animam pro ovibus. — IV. Quinam mercenarius. — V. Licetne pastori fugere persecutionis tempore. — VI. Qui lupus. — VII. Quinam oves. — VIII. Quæ oves aliæ extra ovile. — IX. Cur Ecclesiæ regimen monarchicum.

THEMA.

Vocem meam audient. Joann. X.

Sat superque, auditores, demonstravit hactenus Dominus se pastorem bonum, qualem ipse describit Joan. X. et ex parte in hodierno evangelio. Nam primo, pavit oves suas, discipulos, delicatissimo illo pabulo corporis et sanguinis sui in ultima cæna. Deinde defendit, et servavit oves suas, quando in monte Oliveti ab insidiatorum manibus tutatus, ac nulli quicquam manum inferri passus est. Ad hæc in passione sua posuit pro

ovibus animam suam ; prostravit que lupum (dæmonem) baculo crucis suæ. Denique ab inferis regressus, revisit gregem suum, et in unam congregavit domum, reduxit etiam ad ovile suum errantem illam oviculam, Thomam, uti vidimus ante octiduum. Jure igitur ac vere dicere in hodierno evangelio potuit : *Ego sum pastor bonus*. Superest nunc, ut demonstremus esse nos boni pastoris oves bonas. Quod vero potissimum requirit pastor iste ab ovibus suis, est, ut audiant vocem ejus ; quam profecto ex ore ipsiusmet Christi audire nunc non licet : ex ore concionatorum licet, qui in prophetia Jeremiæ c. XV. *Os Domini* nuncupantur, dicente ad prophetam Domino : *Quasi os meum eris*. Itaque, auditores, oves vos præstate et audite vocem pastoris vestri.

I. Christus quomodo pastor ? Resp. quia instar pastoris Ecclesiam suam regit et custodit. Primo enim, oves suas pascit sc. eucharistia aliisque sacramentis et verbo Dei. Deinde, defendit, et tuetur contra tyrannos et hæreticos, estque eis velut *murus igneus in circuitu*, uti promissit Zach. II. Rursum Michææ V. *Stabit, et pascet in fortitudine*, q. d. sicut pastor innixus baculo suo stat intentus in suas oves, num quæ aberret, vel an lupus aliquis adventet : sic Christus invigilabit Ecclesiæ suæ. Unde S. Stephanus dimitans cum lupis, vidit Christum stantem in cælo, ad opem sibi ferendam.

Denique, quia pro eis plurimos et gravissimos sustinuit labores, dum in terris degeret, imo mortem ipsam petiit, ut e tartarei lupi faucibus, eas eriperet. Sanctus Hieronymus, Zach. XI. pastoris insignia describit, Christo convenientia. Sunt autem pera, baculus, fistula, sibilus, melotes, seu ovis exuvium, et canes. Melotes in Christo quid, nisi humana ejus natura, quam de ovibus suis, ut per omnia eis similis fieret, assumpsit ? Peram, imo multas peras gerit, vaseula scilicet sacramentorum, in quibus gerit animarum pharmaca et pabula. Baculum præfert, crucem de qua Psalm. XXII. *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt*. Nulla enim re magis recreantur Christi oves, quam crucis et passionis Dominicæ assidua meditatione. Eo dæmonem prostravit et ab ovili suo arce hodieque, dum vel nudo crucis signo insidias ejus depellit, et annihilat. Fistula, qua mulcet oves, verba sunt divina, conciones et Scripturæ sacræ, alique libri pii, quibus plena est Ecclesia. Sibilus sunt inspirationes cordis, quibus homines vocat ad se, et revocat a vitis. Denique, molossi ejus sunt Ecclesiæ doctores et concionatores, prælati, confessarii, qui latratibus suis Ecclesiam defendunt, et ab ovili lupos arcent.

Eadem fere sunt insignia pastoris seu prælati

cujuseumque, uti ostendit Adam de Persevia. « Ad hoc enim ut sit pastor humilis, utilis, et fidelis, inquit, debet habere panem in pera, canem in fune, baculum cum virga, cornu cum fistula. Panis est verbum Dei, pera est memoriæ verbi, canis est zelus pastoris. Quia zelare habet pro domo domini sui, et deterrere lupos piis latratibus sanctæ prædicationis et indefessæ orationis. Funis quo canis tenetur, moderamen zelandis, et discretio, qua zelus pastoris spiritu pietatis et scientiæ temperatur, ne forte, sicut ait apostolus, zelum Dei habeat, sed non secundum scientiam. Baculus est piæ exhortationis consolatio, quæ sustentet, et consoletur pusillanimes, ne in tempore tribulationis deficiant. Virga est potestatis auctoritas, quæ corripit inquietos, ne de impunitate audaciam sumant. Cornu cujus sonitu terribili ad belli conflictum milites animantur, est terribilis gehennæ comminatio, qua Christi milites contra vitiorum molliem, spiritu fortitudinis accinguntur. Fistula quæ dulcis canit, æternæ dulcedinis suavitatem designat, quam subditorum auribus fidelis pastor duleiter ac frequenter inculcat. »

II. Quomodo Christus pastor bonus : et per emphasin (uti articulus Græcus indicat) ille bonus ? Resp. talem se appellat Christus, ut indicet se pastorem illum esse a prophetis prædictum, qui solus erat oves de ore lupi tartarei eruturus. De eo enim prophetavit Ezechiel, cap. XXXIV. *Suscitabo super eas pastorem unum*, Isaiæ, cap. XL. *Sicut pastor gregem suum pascet* ; Zacharias, cap. XIII. *Framea suscitare super pastorem et super virum coherentem mihi* ; qui nimirum Persona una ex divinis sit. Ideoque a S. Petro, ep. 1. cap. V. vocatur *princeps pastorum*. Est ergo pastor bonus per excellentiam. Primo, quia Deus, qui est essentialiter bonus ; quomodo nemo alius censeretur bonus potest, ut indicavit Dominus adolescenti cuidam dicens : *Nemo bonus nisi solus Deus*, Marci X. Secundo, quia etiam secundum humanitatem adeo bonus fuit, ut nihil unquam mali admiserit, nec admittere poterit. Tertio, quia officium pastorale per excellentiam administravit, quo modo nemo unquam. Imprimis enim summo cum amore intravit per lutum, per spinas et clavos crucis, ut ovem perditam recuperaret : hæsit etiam baculo crucis, et demisso capite, quasi portans ovem humeris posuit animam pro ovibus suis, postquam exquisitissimis tormentis, pro illarum custodia depugnasset et salute, quam solus eis parare poterat : nec qualemcumque vitam posuit, sed vitam Hominis Dei toto mundo pretiosiore. Posuit etiam sponte, mera liberalitate et amore : posuit quoque gratis, quærens ovium emolumentum : posuit absolute, non

secundum conditionem accelerationis tantum, siquidem ipsi ratione unionis hypostaticæ debebatur immortalitas, unde debebat nunquam mori: cæteri pastores, qui vitam pro ovibus posuerunt, aliquando nihilominus mori debuissent. Magnum ergo in hoc discrimen et inter Christum et pastores alios pro ovibus occisos. Deinde, pascua eis providit, non corporalia ut cibum, sed spiritualia, Dei verbum, sacramenta, corpus et sanguinem suum. Unde Ezech. XXXIV. ait: *Pascam eas in montibus Israel, in rivis et in cunctis sedibus terræ, in pascuis uberrimis pascam eas, et in montibus excelsis Israel erunt pascua earum: ibi requiescent in herbis virentibus, et in pascuis pinguibus pascentur super montes Israel.* Pascua in vallibus ad rivos, sunt frequentis sacramentorum usus, et verbi divini prædicatio, oves Christi impingans. Pascua in montibus sunt contemplationes, et exercitia anachoretarum, et religiosorum, qui in eis requiescunt, et ludunt velut oves in herbis virentibus. Ad hæc tertio, novit omnes oves suas, et ita quidem, ut nulla ei rapi de manu queat, signavit enim eas signaculo prædestinationis, quod nemo delere potest. Novit etiam non extra solum, sed intus, et in cute; quas alii pastores non norant. Quarto, auget ovile suum ex alienis caulibus; abripit enim dæmoni quam plurimas oviculas, seu potius hircos, et inducit in ovile suum facitque ex hircis oves. Unde hic ait: *Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere.* Quod et fecit per apostolos, mittendo eos ad gentes. Denique, nihil emolumenti accipit ab ovibus, non lac non lanam, non carnes: totum emolumentum ovium est. Et si qua gloria ex salute ovium redundat in Christum, ea prima ovium est; deinde, Christo necessaria non est, enim ratione unionis hypostaticæ debetur omnis gloria. Quam vere igitur Christus asserit, se esse pastorem illum bonum?

III. Quomodo verum illud: Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis? Quis enim pastor hoc faceret? Quis homo mori velit pro pecude? Et nonne pastor jugulat oves? Resp. primo, Christum metaphorice loqui de pastore hominum: de quo verissimum est dicere: *Bonus pastor* (ovium ratione præditarum) *animam suam aut pro ovibus suis, cum scilicet dare optis est.* Ac licet vita Christi, ut supra diximus, præstantior fuerit omnium hominum vita, voluit tamen Christus temporalem suam vitam æternæ ovium vitæ postponere; majus bonum judicans salutem ovium æternam, quam pastoris vitam brevem. Ita Barradius hic.

Respond. secundo, etiam pastorem ovium brutarum debere pro ovibus suis animam ponere, hoc sensu, quia debet facere ea, quæ sunt

officii sui, etiam cum periculo vitæ, ne ipsius culpa alienæ pereant oves, quarum pastor constitutus est. Præstat enim mori quam Deum vel levissima offendere. Ita de Davide ait Jonathas ad Saul patrem: *Posuit animam suam in manu tua, 1. Reg. XIX.* hoc est, exposuit vitam suam pro te periculis. Sic Actor. XV. dicitur de Paulo et Barnaba, quod tradiderint animas suas pro nomine Domini. Aliquando etiam cum laude pro re temporali vitam ipsam profundimus, ut cum quis contra furem tuetur domum suam; cum pastor contra lupum decertat pro ovibus suis etiam propriis, et interim a lupo laceratur; cum nauæ merguntur, dum vacant navigationi, milites militiæ, etc.

IV. Quinam mercenarius? Respond. duplex esse mercenarius. Alii enim sunt a dominis ovium constituti, ut pro mercede pascent oves, et de his, si faciant officium suum, non est hic sermo; eosque excludit Dominus, cum explicans mercenarium, addit: *Et qui non est pastor, q. d. de illo mercenario loquor, qui non pascit oves pro officio suo.* Quare qui propter mercedem operantur, secundaria tamen intentione, mercenarii quidem vocari possunt, sed non reprehensibiles, neque hic taxantur. Alii ergo sunt, qui vel intuitu solius mercedis pascent oves, lucri causa non ex amore: vel male pascent, non attendentes muneri suo. Ita D. Greg. hom. XIV. in evang. ait: « Non pastor, sed mercenarius vocatur, qui non pro amore intimo oves dominicas, sed ad temporales mercedes pascit. Mercenarius quippe est, qui locum quidem pastoris tenet, sed lucra animarum non quaerit. » Et S. August. tr. XLVI. in Joan. super hunc locum: « Sunt quidem Ecclesiæ præpositi, de quibus Paulus apostolus dicit: *Sua quærentes, non quæ Jesu Christi.* Quid est sua quærentes? Non Christum gratis diligentes, non Deum propter Deum quærentes, temporalia commoda sectantes, locris inhiantes, honores ab hominibus appetentes; hæc quando amantur a proposito et propter hæc servitur Deo, quisquis est talis, mercenarius est. »

Tales ergo, primo, dicuntur esse mercenarii, quia intuitu solius mercedis pascent oves: *Quærentes quæ suæ sunt, non quæ Jesu Christi,* ad Philipp. II. De quibus ait Ezechiel, c. XXXIV. *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos? Nonne greges a pastoribus pascentur? Lac comedebatis, et lanis operiebamini, et quod crassum erat occidebatis: gregem autem meum non pascebatis, q. d. ad reditus tantum, et honores attendebatis, non ad oves. Salaria pinguis ab ovibus exigebatis, quibus curam nullam impendebatis.* Audiant hi Bernardum, ep. I. *Quidquid præter necessarium victum ab simplicibus vestrum de*

altari retinet, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.

Secundo, habere oves velut alienas et non suas; quia tam parum curant eas, ac si nihil ad se pertineant, cum tamen pastor licet mercede conductus ita debeat custodire oves ac si ipsius propriæ forent, adeoque eas per amorem facere proprias. Sunt autem hujusmodi qui oves aliis committunt nec curant quomodo ab iis pascantur, nunquam eos visitant, nunquam examinant, an faciant officium suum: diutissime autem semper a grege suo absunt. Antiqui philosophi principem et præselem cum sole comparabant, quem appellabant *Theon*, id est, currentem; ut significarent debere illum subditos suos perpetuo lustrare omniaque animo percurrere, curam et vigilantiam apprime illi necessariam esse. Discant a philosophis præseles christiani.

Tertio, dicuntur non pastores; quia etsi nomen pastoris gerunt, munus tamen non exercent: quales hodie multi, qui pinguis beneficia possidentes, sine habitu clericali incedunt, quia de eo erubescunt, etsi de fructibus gloriantur. Horas canonicas non recitant, missam rarissime celebrant, templum raro adeunt, nihil denique sacri præ se ferunt; quodque perniciosissimum, oves pabulo verbi Dei sacramentorum destituunt. Navarchi nomen non meretur, qui in navigando se mavult incolumen servare quam navim, sic pastoris nomine indignus est, qui se potius quam oves pascit. Illos Zach. c. XI. vocat idola: *O pastor et idolum,* (Hebr. pro idolo habetur elil, i. e. deiculus, q. d. O deicule! Et pastores stultos (Hebr. evil.) Vult ergo dicere, tales esse velut statuas aut larvas positas coram grege: *Evilim et Elilim, stultos et idolula: idolum: Os habet, et non loquetur; oculos habet, et non videbit; aures habet et non audiet; manus habet, et non palpabit; pedes habet, et non ambulabit; non clamabit in gutture suo.* Ita talis non habet doctrinam, quam loquatur ad populum, neque oculos ad necessitates ovium commiserandas, ne dum sublevandas, sed tantummodo ad tondendum, et accipiendum lac et caseum. Non habet aures, quas lucro temporali obturatas habet, et sæpe absens est, ut illas audire non possit, ac ideo merito auribus destitutus censi potest. Manus habet, non ad orandum, aut sacrificium offerendum, aut ad succurrendum ovium indigentibus, sed ad rapiendum fructus Ecclesiæ suæ, et percutiendum sententia excommunicationis, nisi fideliter et integre decimæ reddantur. Pedes habet non ad visitandum diocesium, et ad educendum oves in pascua, ut ante eas vadat; sed ut, viso lupo, aut persecutione orta, fugam eripiat, et oves suo auxilio et præsidio destituat.

Quarto, dicuntur veniente lupo dimittere oves et fugere; quia accedente persecutione vel fugiunt corporaliter, dimittendo oves, vel spiritualiter, dum hæreses permittunt grassari in oviculas, vel diabolus ipsum, peccata dissimulando, ovibus verbi Dei et sacramentorum pabulum subtrahendo, etc. « Fugisti, ait S. August. tract. XLVI. in Joan. qui tacuisti; tacuisti, quia timuisti. Fuga enim timor est: corpore stetisti, spiritu fugisti. » Et S. Greg. hom. IV. in evang. « Fugit mercenarius non mutando, sed subtrahendo solatium. Fugit, quia injustitiam vidit et tacuit. Fugit quia se silentio abseondit. Quibus bene per prophetam dicitur: *Non ascenditis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, etc.* Ezech. XIII. et I. XXIX. moral. c. II. « Video, inquit, alios, quibus exhortandi officia sunt commissa, qui vident aliquod illicitum committi, et dum potentum quorundam gratiam offendere metuunt, arguere non præsumunt. Quisquis iste est, quid facit aliud, nisi videt lupum venientem et fugit? » His dicitur Ezech. XXXIV. *Quod infirmum fuit, non consolidastis; et quod ægrotum, non sanastis; quod confectum est, non alligastis; et quod abjectum est, non reduxistis; et quod perierat, non quaesistis sed cum austeritate imperabatis eis et cum potentia. Et dispersæ sunt oves meæ eo quod non esset pastor: et factæ sunt in devorationem omnium bestiarum agri.*

V. Licetne pastori fugere persecutionis tempore? Respondet ad hoc S. August. ep. CLXXX. ad Honoratum, et ex eo dd. in hunc modum. Quando ex fuga alicujus alii graviter scandalizarentur, justitia opprimeretur, prædicatio et sacramentorum administratio ommitteretur, ac oves Christi periclitarentur, non licet fugere ei, per cujus fugam hæc sequerentur. Cum vero major gloria Dei, et Ecclesiæ utilitas, et evangelium ipsum postulat, ut fugiamus, fugiendum est, et non fugere peccatum, v. g. quia non expedit Ecclesiæ privari tali doctore. Rursum S. August. ep. cit. « Fugiant, inquit, de civitate in civitatem servi Christi, quando eorum quisquam specialiter a persecutoribus quaeritur, ut ab aliis, qui non ita requiruntur, non deseratur Ecclesia. Cum autem omnium est commune periculum, hi qui aliis indigent, non deserantur ab his, quibus indigent. » Rursum fugere licet, cum ejus, qui manserit, fides in periculo versabitur. Christum, enim, inquit S. Chrys. *fugiendo non negat, qui ideo fugit, ne neget.* Ille autem qui ad evitandum periculum recedit absque detrimento gregis, non tamquam mercenarius fugit. Imo sic fugere non deserere, sed instaurare prælium est.

VI. Quis lupo? Respondet primo S. Greg.

hom. XIV. in evang. « Lupus super oves venit, eum quilibet injustus et raptor fideles quosque atque humiles opprimit. » Respondet secundo idem sanctus, ibid. « Sed est alius lupus, malignus videlicet spiritus, qui caulas fidelium insidians circuit, et mortes animarum quærit. » Et mox : « Lupus rapit, et dispergit oves, cum alium ad luxuriam pertrahit, alium ad avaritiam accendit, alium in superbiam erigit, alium per iracundiam dividit, hunc invidia stimulat, illum fallacia supplantat. Quasi ergo lupus gregem dissipat, cum fidelium populum diabolus per tentationes necat. » Ad hæc insatiabilis est in laniandis animabus, ululat in cælum, blasphemando Deum, etc.

Respondetur tertio secundum apostolum Act. XX. lupos esse hæresiarchas : *Ego scio*, inquit, *quoniam post discessionem meam intrabunt lupi rapaces in vos, non parcentes gregi*. Hi enim imprimis insatiabili ingluvie jugulant, quos possunt; deinde, miro odio prosequuntur canes, id est, Ecclesiæ doctores, qui illis impedimento sunt; ad hæc uti lupi Africani teste Augustino fingunt, interdum vocem canis, et pastoris; ita illi sub prætextu Scripturæ decipiunt. Taceo alia. Tria dicitur facere lupus; primo, venit; secundo, rapit; tertio, dispergit oves. Idem fecere primo, tyranni qui in ovile Christi grassati, alios fideles rapuerunt ad martyria, alios disperserunt in exteras regiones et solitudines. Deinde, hoc facit diabolus qui venit subdole per tentationem; rapit dum per consensum trahit hominem quasi unguibus comprehensum ad peccatum, dilaniat dum in alia et alia vitia ac demum in profundum vitiarum impellit; dispergit oves, cum discordias seminat, cum a quiete mentis in extraneas cogitationes, et curas mundi abstrahit, ut homo sui et Dei oblitus vagetur extra se cum prodigo filio. Denique, id quoque hæresiarchæ faciunt, qui veniunt, non missi a legitima potestate, deinde rapiunt oves dentibus blandiloquentiæ suæ, denique aliis in hæresin abreptis alios dispergunt, et ejiciunt ex sedibus suis, scindunt urbes, et familias in diversas sectas, conjiciunt alios in dubia et perplexitates ut nesciant quid credere, quem pastorem sequi debeant.

VII. Quænam oves? Resp. hoc loco esse omnes fideles, sive bonos, sive malos, qui in ovili Christi sunt; quia nimirum Dominus voluntate antecedente vult eos omnes esse oves veras, id est, electos, et quantum in ipso est conatur eos tales facere. Recte autem homines comparantur ovibus. Primo, quia uti oves, ita et ipsi a natura inermes creati sunt, ut mansuetudine pollerent. Secundo, infestantur tot morbis, quot oves, ut scribit Aristoteles. Tertio, brevi tem-

pore vivunt, quemadmodum et oves quæ ad denos annos, duces vero pecoris ad quindenos annos pertrahunt vitam, inquit Aristoteles, VI. hist. anim. cap. XIX. Quarto, singulæ respublicæ singulos habere rectores debent, quemadmodum et singula ovilia singulos duces, Aristot. ibidem. Quinto, sæpe et facile deviant ab æquo et recto, quemadmodum et oves a via et grege; unde ut hæc lupo, ita illi dæmoni præda fiunt.

Dicuntur hæc oves primo, Christum pastorem suum agnoscere (*cognoscunt me meæ*) partim per fidem, uti omnes fideles, e æjusmodi non erant Pharisæi, qui de illo dicebant : *Hunc nescimus unde sit*, Joan. IX. partim etiam per dilectionem, uti illi tantum, qui in gratia constituti. Et hæc est cognitio approbationis et amicitiae, de qua I. Joan. II. dicitur : *Qui dicit se nosse Deum, et mandata ejus non observat, mendax est*.

Secundo, audire vocem ejus (*vocem meam audient*). Solent enim agnoscere oves vocem matrum e millibus licet aliis, necnon et pastoris suis vocem ac sibilum : ita ergo et fideles non modo Ecclesiæ universalis matris suæ vocem, sed etiam pastorum suorum mandatum et nutum audire convenit. Hoc significarunt cognati Job, qui post exantlatos patientiæ labores singuli obtulerunt ei ovem unam cum inaure una aurea, Job, XLII. nimirum Christo post immensos crucis labores offerendas in mercedem et solatium laborum esse gentes ex omnibus mundi plagis, velut oves, quæ promptissima voluntate vocem ejus auditoræ essent.

VIII. Quæ oves aliæ extra ovile synagogæ fuerunt? Resp. fuisse gentes. Fuerunt enim ab initio mundi semper justi aliquot ante synagogam exortam, qui de semine Judæorum non erant, a circumcisione enim Abraham primum cœpit synagoga Judæorum (quibus satis erat credere in unum Deum salvatorem et retribuatorem operum) quamquam illa Ecclesia inter gentes propter corruptam hominum naturam et introductam undique idololatriam nimirum quantum imminuta fuit usque ad Christi adventum, crescente interim synagoga. Has igitur oves adducturum se ait Christus, ut ex utroque ovili, gentilium et Judæorum unum faceret, eadem fide, iisdemque legibus sub uno summo pastore visibili colligendum, eadem doctrina, iisdem sacramentis et cæremoniis pascendum : extra hoc ovile se nullas habiturum oves.

IX. Quare Christus Ecclesiæ suæ regimen voluit esse monarchicum, seu unicum ovile sub uno summo pastore visibili? Resp. quia cum tres sint species regiminis, aristocratia, quæ est plurium, sed optimatum, qualis cernitur Venetiis et Genue : democratia, quæ est populi, qua-

lis est in Helvetia et Hollandia : monarchia, quæ est unius summi rectoris; hæc cæteris præcellit, et optima est ex mente omnium philosophorum, necnon principis poetarum Homeri, qui Iliad. l. II. canit : *Non est bonus multorum principatus*, unus princeps est, unus rex. Ratio prima, quia etiam imperium mundi totius est monarchicum sub uno Deo, mundi rectore. Par igitur erat uti etiam Ecclesia Christi in terris, sicut unum habet caput invisible in cælo, Christum scilicet ipsum, ita unum visibile haberet in terra.

Secunda, quia in monarchico regimine melius conservatur unitas et concordia, quando ea ab uno summo capite influit in omnia membra : discordiarum, æmulationis et invidiæ causa est pluritas rectorum. Tertia, quia solidior et durabilior est virtus unita; quod sequitur ex præcedente. Nam *omne regnum in seipsum divisum desolabitur*, teste Domino. Quarta, facilius reperitur unus bonus et idoneus regimini quam plures. Denique inter plures pastores, minor est singulorum sollicitudo et attentio. Unde solemus dicere, male pasci oves a pluribus pastoribus : pluribus a coquis male condiri juscula. Adstipulatur huic sententiæ ipsa natura. Unus in mundo sol, unius

regni unus est rex, unus exercitus unum habet ducem, una navis unum gubernatorem, una domus unum patrem familias. Rursum : « In apibus principes sunt : grues unum sequuntur ordine litterato : imperator unus : judex unus provinciæ. Roma condita duos fratres simul reges habere non potuit. In Rebecæ utero Esau et Jacob bella gesserunt. Quare episcopus unus, non duo esse debent, » inquit S. Hieronymus, epist. IV. ad Rusticum monachum. Hinc S. Gregorius, Cant. IV. docet Ecclesiam pulcherrimo malo punico similem esse, nam ut plurima sunt mali punici grana uno cortice conclusa, sic plurimi sunt Christiani una Ecclesia contenti. *Per malum punicum* (ait Gregorius) *Ecclesia designatur, quia dum multos populos in unitate fidei nutrit, quasi multa grana sub uno cortice stringit, etc.* Punicum malum coronatum est, unamque tantummodo coronam habet; ita Ecclesia coronata est, unamque solum habet maximi pontificis tiaram ecclesiasticam : inferiores enim episcoporum tiaræ omnes summæ illi parent. Maneat igitur Ecclesiæ regimen monarchicum velut omnium optimum.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

QUANTA PROVIDENTIA NUTRIAT DEUS GENUS HUMANUM.

- I. Nutrit magnifice. — II. Pascit paterne et amenter.
- III. Pascit mirifice. — IV. Pascit sapienter. — V. Nutrit constanter.

THEMA.

Ego sum pastor bonus. Joan. X.

Salvator noster, auditores, magister est et speculum humilitatis, sicut ipse profitetur, Matth. XI. *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.*

Quomodo ergo seipsum prædicat in hodierno evangelio dicens : *Ego sum pastor bonus*? Neque enim humiles commendare seipsum volunt. Non difficilis est responsio. Quando enim quis se commendat non sui causa, sed propter bonum aliorum, non solum non reprehensionem, sed laudem meretur. Exempli causa, si qui dives hospes, aut paterfamilias videat adventantes pauperes peregrinos, qui sub dio manent, et hospitii intrare timent, eo quod parum viatici, et caponum avaritiam habeant suspectam : si, inquam, dives ille vocaret peregrinos ita in domum suam : Ad me vos divertite : ego sum bonus capo; alii quærent aurum; vestrum ego

vero minime : gratis vos alam et fovebo in domo mea, tantum mihi gratias agite. Quis hoc succensere diviti huic posset, quod se bonum caponem diceret? Jam ergo vidit Christus pauperes in hoc mundo quam plurimos, qui jacebant sicut oves non habentes pastorem. Vidit etiam lupos et prædones, qui se jactabant pastores, erant vero carnifices et laniones, qui oves non tam pascebant, quam ad macellum trahebant; quare ut oves illas ad se alliceret, commendare illis debuit suam bonitatem, quod nimirum eas gratis pascere et ad vitam, non ad mortem vellet. Quis hanc benignitatem non laudabit in pastore nostro? Atqui nos hi peregrini pauperes, nos hæc oves sumus, quos sane pascit quotidie, non tantum spirituali, sed etiam materiali cibo, pascit inquam, gratis, nec aliud a nobis requirit, quam ut ipsi grati simus, eum velut pastorem nostrum agnoscamus et amemus. Quod ut impensius fiat, videamus quomodo nos pascit.

I. Pascit nos magnifice; regio quasi apparatus, qualis fuit in convivio Assueri : quamquam illud umbra tantum aliqua fuit istius, quod instituit Deus; ille excepit convivio universum populum, qui erat in Susan : Deus excepit univer-